Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



26

aut scurrilitas que actui ñ pertinet? Et magis gratiam accipe.
Hoc autem scitote intelligentes: quod omnis fornicator aut immundus
auarus quod est idolorum seruitus non habet hereditatem in regno
xpi et dei. Ne quis uos seducat inanibus uerbis. Propter hoc enim
uenit ira dei in filios diffidentiae. Nolite ergo effici participes eorum.
Eratis enim aliquando tenebre: nunc autem lux in domino. ut filii lucis
ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate et iustitia et ue
ritate. Erat ihs eiciens demonium. Secundum lucam. et
illud erat mutum. Et cum eiecisset demonium locutus est mutus:
et admirati sunt turbe. Quidam autem ex eis dixerunt. In beelzebub
principe demoniorum eiicit demonia. Et alii tentantes: signum de celo querebant ab eo. Ipse autem uidens cogitationes eorum: Dixit
eis. Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur: et domus super domum
cadit. Si autem satanas in se ipsum diuisus est: quomodo stabit
regnum ipsius? quia dicitis in beelzebub eicere me demonia?
Si autem ego in beelzebub eiicio demonia: filii uestri in quo eiiciunt.
Ideo ipsi iudices uestri erunt. Porro si in digito dei eiicio de
monia: profecto peruenit in uos regnum dei. Cum fortis armatus
custodit atrium suum: in pace sunt ea que possidet. Si autem fortior
illo superueniens uicerit eum: uniuersa arma eius auferet in
quibus confidebat et spolia eius distribuet. Qui non est mecum
aduersum me est: et qui non colligit mecum dispergit. Cum immundus
spiritus exierit ab homine ambulat per loca inaquosa: querens
requiem et non inueniens dicit. Reuertar in domum meam: unde
exiui. Et cum uenerit: inuenit scopis mundatam. Et tunc
uadit et assumit septem alios spiritus nequiores se: et ingressi
habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illi: peiora pri
oribus. Factum est autem cum hec diceret: extollens uocem quedam mu
lier de turba. dixit illi. Beatus uenter qui te portauit: et
ubera que suxisti. At ille dixit. Quinimmo: beati qui
audiunt uerbum dei et custodiunt illud.